

Letter 279: 14 March 1526, Strasbourg, Capito to Jacob Sturm

Printed as the dedicatory letter to Capito's commentary *In Habakuk prophetam ... enarrationes* (Strasbourg: Wolfgang Köpfel, 1526), ff. Aiiir-Aiiiv.

5

Nobili ac erudito Iacobo Sturmio, civi et senatori Argentinens[is], Caesarei Senatus hoc temporis consiliario, amico et maiori suo observando, gratiam et pacem a Iesu Christo servatore nostro exoptat.

10

Inter familiaria colloquia, saepenumero es cohortatus, clarissime Iacobe, ut operam daremus, quo scripturam huius urbis, et si fieri possit, vicinia concionatores, consimili dexteritate ac modo omnes tractaremus. Nam diversitas imbecillia vulgi iudicia conturbaret, acerbis quorundam clamoribus, plebs malis studiis scinderetur; hostibus verbi calumniandi nostram functionem, inquinata declamando, ansa praeberetur; et id genus non pauca verissime quidem causificabaris, et hoc modo eam paraenesim aliquando concludebas, quod ministri inquam, verbi sint homines, et affectibus interim obsequantur; nihil te indignari, neque supra conditionem naturae, ut vivant, postulare, id efflagitare vero, ne hominem e suggestu intempestive prodant, quo loco tantum spiritum exaudiri convenit. Quam sententiam sub tuo nomine, ut prima vales apud nos autoritate, neque raro neque illibenter memoravimus, qui scimus Christi salutarem doctrinam, non insanis furoribus, sed ardentibus spiritus flammis proponendam.

20

25

Huius generis recordatione inducti, Bucerus et ego consilium coepimus domi meae nostris [gr.] en tō logō synergōis, quos coadiutores nominant, praelegendi sacra, rudi quadam industria et simpliciter, sed fideli cura et sedulitate. Auditores brevi, quia neminem prohibere visum est, frequentiores adfuerunt quam fore putassemus, adeo ut iam caenaculum meum aegre illos caperet. Eoque passi sumus ex privatis parietibus ad publicum nos perducere, atque apud monachos familiae Dominici profiteri palam incepimus, ubi omnia pro mediocritate nostra aliquanto accuratius atque plenius quam inter nostros familiares seorsum egissemus. Sed et gratia firmandae memoriae, requirentibus, ut ita fieret auditoribus, aliqua dictavimus: Bucerus quidem in Matthaem, quia totum Novum Testamentum percurrendum obiter suscepit; ego autem in Habakuk prophetam, quem minutius excutiebam, ut cui de modo veterem scripturam enarrandi nec dum constiterat. Magis enim libuit, quantum ex favore Domini in ea palestra possem, experiri quam definita ratione, quam nullam, ut dixi, tum habebam, certum mihi pensum praescribere. Caeterum, quae ex me quidam exceperant, invulgaturi videbantur, me initio recusante. Verum ubi expendissem quam soleat hoc saeculum opera librariorum, magis quaestus causa quam studio iuvandi nitentium, nihil non in publicum et perquam inconsulte omnia proiicere, voluntatem ultro caepi edendi, quae me invito ac reluctantante fuissent alii edituri, ut ea castigatiora, et forte maiore cum fructu - si quis saltem fructus ex huius generis commentatiunculis expectandus - exirent.

35

40

Cuiusmodi tibi, quantum acunque sint, mitto, per ocium, ubi a Senatu Caesareo liberum fuerit, legenda atque iudicanda. Nam foelicissimam censuram tuam perquam cupide ferimus, qui vulgarem quoque lectorem non solum admittere, sed et invitare, postulare ac efflagitare pro Domini praecepto soliti sumus. Sudentium enim esto iudicium, iuxta illud apostoli: *Duo aut tres loquantur, caeteri diiudicent. Porro si alii fuerit revelatum sedenti, prior taceat* [1 Cor. 14: 27-28]. Quam legem, quia novimus quantum veneni ad perniciem ecclesiarum hinc exortum sit, dum quisquam sua immodice probat ac propugnat, avidissime suscipimus atque aliis severe praescribimus. Nam toti ecclesiae Paulus praeciens: *Omnia inquit probate, quod bonum fuerit*

45

*tenete, ab omni specie mala abstineto vos. Et rursus: Iudicate spiritus an ex Deo sint* [1 John 4: 1]. Tam necessarium est iudicium doctrinarum, neque Christus suis illud praecipere gravatur. Nam qui iubet, ut caveamus aut lupos vestitu ovium se venditantes, aut canes et operarios iniquitatis animaliaque ventris, idem iubet ut omnem expendamus doctrinam. Siquidem doctrinis perniciosis simplices animos illi in fraudem illiciunt, inficiunt erroribus, dissipant, lacerant, vorant. Unde iudicio maxime opus est ubi iusticia imposturis laetalibus depascendam pietatem maxime exponit. Tametsi ego mihi videar nihil impie affirmasse et propemodum prophetae mentem attigisse, certe scio quod sim studio brevitatis consecutus, ut semel tantum molestus esse queam, dum alii, quibus scitum videtur plurimas divexasse chartas et prolixitate et ineptiae tractandi, ne quid acerbius dicam, pariter molesti sint. Sic est illorum ratio, ut existiment librum, quo grandior mole est, hoc esse oportere usu quoque meliorem. Tu interim, mi Iacobe, in Domino vale, et ingenium tuum foelicissimum, quod natura subtile et acutum, educatione probum, literis egregie excultum et usu haud mediocriter confirmatum, rebus gerendis appositissimum est. Istud ipsum quaeso Christianae pietati, ut soles, adiunctissime consecrare pergas. Hulderichum Varnbulerum a libellis Senatui vestro, virum integerrima fide et festivissima gravitate praeditum, in Domino salvere ex me iubeas et tu quoquam foeliciter vale. Argentin. 14 Martii anno MDXXVI.